



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Adoratione Eucharistiæ

Boileau, Jacques

Viennæ, 1743

Cap. XII. Isidorus Pelusiota defunctus 4. Febr. anno CCCCXL. confirmat
adorationem Eucharistiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49201](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49201)

CAPUT XII.

Isidorus Pelusiota defunctus IV. Februarii anno CCCCXL. confirmat adorationem Eucharistiæ.

OMnes quotquot sunt literati homines fatentur libenter, S. Isidorum Ascetam, & illustrissimum S. Chrysofomi discipulum, de Eucharistia mentionem facere Epistola CCLXIV. libri III. quam ad Diaconum, cui nomen erat Nilamoni, scripsit: qua quidem, postquam locutus est de iis, qui suorum criminum horrore instigati a sacris mysteriis recedunt, & aliis, qui vanis (ut putant) terroribus postpositis, ad ea sacrilegis manibus incredibili temeritate accedere non contremiscunt; ait haud valde primos diabolum aggredi; quippe cum rebus divinis (hoc est, Eucharistiæ) adorationem exhibere non desistant.

διὸ δὴ τοῖς μὲν πρώτοις ἔπιπύθεται ὁ Διάβολος, εἰδὼς ὅτι ἐπιάσιν, ἀλλ' οὐ γινώσκοντες τοῖς θεοῖς τὸ σέβας φυλάττειν. *Quamobrem etiam primos diabolus haud valde aggredi-*

tur; quod scilicet exploratum habeat, eos, quamvis peccent, tamen id agnoscentes, divinis rebus adorationem conservare. Defendo enim hoc nomen, σεβας, adorationem, seu cultum divinum significare: uti intelligimus ex Fidei Expositione pag. 372. sub nomine S. Justinii Martyris, tanti authoris fœtu non indigno. ἀλλ' οὐ κατ' ὀρθῶν ἔννοιαν τὸ σεβας προσαγόντων. Sed non secundum rectam rationem cultum, sive adorationem præstantibus. Et continenti sermone, ἕνα τῶν ἑνῶν Θεῶν σεβῆν ἡμᾶς αἴτε θεῶν γραφαὶ διδάσκουσιν, αἴτε τῶν πατέρων διδασκαλίαι παρδύουσι. Unum quidem Deum adorare nos divinæ Scripturæ docent, & Patrum erudiunt institutiones. Hoc Opus saltem antiqui Scriptoris Ecclesiastici esse, ab ætate S. Isidori Pelusiotæ non valde alieni, fatentur viri docti; quod quidem Euthymius Zigabenus, Monachus Græcus, qui sub finem imperii Alexii Comneni vixit, & obiit 15. Augusti anno MCXVIII. & Leontius Hierosolymitanus, ipsi Justino adscribere non dubitaverint.

Utrumque res sit, ipsemet S. Justinus

nus

nus Apologia II. pro Christianis pag. 72. sic fatur de Antonino: ὃν καὶ πάντες ὡς Θεὸν Δὲ φόβῳ σέβειν ὤρμητο. *Quem omnes ut Deum propter timorem adorare cœperunt.* S. Chryostomus in Expositione Psalmi VIII. pag. 108. tom. III. de Christo ait: Καὶ ὁ Θεὸς, Θεὸς εἶναι ἐβούλετο, καὶ τὸ τῷ πατρὸς σεβας εἰς ἑαυτὸν ἐπεσῶτο. *Et cum Deus non esset, voluisset esse Deus, & Patris adorationem ad se ipsum attraxisset.* Eandem significationem huic vocabulo vendicat S. Clemens Alexandrinus, in Admonitione ad Gentes pag. 19. τὸν Διόνυσον τῆς ὕβρεως σεβάζοντες ἀεχνηγόν. *Bacchum adorantes turpitudinis præfectum.* Et Stromatum libro VI. pag. 457. τῶτον ὁ Θεὸς σεβέσθε, μὴ καὶ τοὺς Ἕλληνας. *Hunc Deum adorate, non secundum Græcos.*

His autem sic constitutis, cui jam homini Græco idiomati tantulum ad-
sueto dubium in mentem incurrere potest, quin S. Isidorus Pelusiota Eucharistiæ adorationem intellexerit? qui insuper ait libro I. Epist. 109. pag. 34. Christum Dominum in mystica mensa communem panem, incar-

nationis proprium corpus reddidisse.

Ἐπὶ τῆς τραπέζης τῆς μυστικῆς τὸν ἄρτον ἢ κοινὸν,
σῶμα ἴδιον τῆς αὐτῆς σαρκώσεως δὲτοφαίνων. In
mystica mensa communem panem corpus
proprium suæ incarnationis exhibens.



CAPUT XIII.

*Eucharistiæ adorationem compro-
bant, Theodoretus Episcopus Cyri
anno CCCCLXX. S. Dionysius vulgo
dictus Areopagita, & S. Cæsarius,
defunctus anno DXLII. 27. Augusti.*

OMnes difficultates in causa adora-
tionis Eucharistiæ, clara & per-
spicua dicendi ratione dirimit Theo-
doretus, Episcopus Cyri, quem ab in-
stitutis S. Chrysostomi, cujus discipu-
lus fuerat, & S. Cyrilli Alexandrini,
in cujus gratiam, dicto anathemate
Nestorio, redierat, alienum fuisse in-
credibile videtur.

Verum cum in hoc Opere ad tuen-
dam transubstantiationem, aut, quam
vocant, realitatem corporis Christi in
Eucha-